




V
B
J
C

Frid. Zamell

PHILYRA RECEPTA

Sive

Tillius exarmatus.

ELBINGÆ Typis Bodenhausianis
ANNO M. DC. XXXI.

Illustrissimo Heroi ac Domino

Dn. AXELIO OXENSTIRNIO,

L. B. in Chymito, Dn. de Fiholmo, Equiti aurato, Sveciæ Regni Cancellario, Regiarum partium in Borussiâ Gubernatori Generali &c. Domino suo gratioss. S.

BEllo hoc, Illustrissime Heros, in Hermunduris gesto si ullum est memorabilius, certè Orbi Christiano hactenus fuit nullum felicius. Quòd.n. Gothicæ gentes, quarum solam auditionem Germania antè acceperat, latè per eam victricia arma circumferant, Rexq; gloriosissimus Francis in deditionem acceptis populum Germanici nominis penè omnem dicto audientem habeat, lætiq; defusis hostium reliquiis nuntii aures nostras circumsonent, ab hac Tillianâ clade totum est. Digna res, quæ culto rite Numine, omnium lingvis celebretur, celebrata perpetuis literarum monumentis ad omnem posteritatem tradatur. Nec deerunt, qui provinciam hanc aut sponte suscipiant, aut injunctam non detrectent. Ego, quamvis mecum habitarem, tantisq; rebus gestis digno stylo exornandis imparem me satis nossem; tamen, quòd Tu,

Domine, velles; remq; omnem, ut armis gesta erat, liberaliter exponeres; eo orationis genere, quo visum magis, eâ fide, quæ in Historico commendetur, bellum id complexus sum: inde Tillium meum exarmatum Tibi nunc exhibeo, dico, sacro. Nam cùm post Regem Opt. maximum, quò se humana acies aliò convertat, rectè ignoret; Tuo Tibi imprimis jure, quod à favore in me Tuo profectum erat, reddo. Quòd si, Domine gratiosissime, amorem hunc æternum voles; eâdem lege Tuæ me virtutis cultorem excitabis ad majora indies. V. Dabam Elbingæ IX. Cal. Novemb. anno salutis nostræ M. DC. XXXI.

Illustriss. cel. Tuæ
devot.

Frid. Zamelius.

Arcto-

ARctoas acies infaustaq; prælia genti,
Vespere quam prono Titania sidera lustrant,
Hesperioq; duci, cujus Germania diros
Horret adhuc ausus, partumq; ex hoste triumfum
Dicere, & Ausonio versu rem condere fastis
Aggredior. Vos ô quorum victricia ductu
Induit arma Gothus, superi adspirate canenti.
Oxenstirniade, divûm genus, altera gentis
Fama Tuæ, Regi semper conjunctior Heros,
Ingentem patriis qui implet virtutibus Orbem
Iam cœlo dignus, nisi quæ mortalia curant
Et spretum pietatis opus, miserata laborem
Exiliumq; virum, patriæ quos limine terræ
Imperiosa Fides Romani Præsulis egit,
Hoc caput afflictis servarent Numina rebus;
Hac quâ fronte soles præsentibus annue cœptis:
Hoc animo, rerum quo tot momenta volutas.
Postquam sertigeræ dejecit Virginis Arces
Tillius in cædes horrendaq; funera nato
Ingenio, Stygias quo jam conceperat iras,
Tergeminasq; Erebi Furias, cùm littore primum
Agmen ab Hesperio Germanæ adverteret oræ,
Molitus quodcumq; nefas, quò frangeret omnes
Teutoniæ vires, dirisq; involveret armis,
Inferretq; deos, quibus ædes dedicat altas
Sumtibus insanis & lectisternia ponit
Vana superstitio, sed patrum ejecerat ætas
His terris, populum si posset Marte potentem
Atq; olim Austriacos pro Relligione furores
Expertum, multo cùm milite cingeret urbes,
Bellorumq; minis infestos redderet agros
Carolus, ingenti Quinctum quem nomine dicunt,

Saxonas

Saxonas indomitos Gothicis disjungere rebus;
Successum belli minimè sperabat inanem.
Iamq; animo tumido totam conceperat oram;
Maxima quam rapido Germania terminat Albi,
Rhenoq; occiduo: Procerum non parva favebant
Agmina: Phryxéæ pecudis quos vellera signant
Fœdere non alio Papæ crudelibus ausis
Certius obstrictos, Hispanaq; regna tenenti.
Si qua foret populis Suevorum audacia dudum
In se divisis; aut in contraria Cattus
Prælia Dux rueret Romanis viribus impar;
Vrbesq; imperij, quas conditione minorum
Exemit pietas priscorum Augusta regentum,
Discretæ totâ regione accedere mallent
Partibus adversis; magnâ ratione negabat
Posse suis rebus belliq; obsistere cœptis.
Vnus erat Saxo: cujus licet arma timeret,
Non tamen unius certò satis arma timebat.
Plus illi fuerat Gothicis terroris ab armis.
Nam quamtas, iret cùm Sarmata Marte receptum
Virgineas arces, quas culta Borussia tollit,
Auctior his populis, duce quos Phallosthene belli
Hesperiis eadem rabies exciverat oris,
Quamtas tunc dederit strages, quot funera campis
Miles Hyperboreus, quæ vis absumserit omne
Hesperium robur; quod presserat arva Pomesi;
Quamtas Gryphisago nuper miseraq; Garizo
Vrbibus amissis & Ibero milite cæso,
Pertulerit clades; perculsâ mente tenebat;
Iam Gothico Regi Balthe concesserat ingens,
Impositæq; urbes: totamq; Setinida victor
Cum Duce defenso legum frænabat habenis.

Junxerat Arctois omnis se Marchia castris:
Nutabant Heruli: Lygius nova regna probabat;
Constiteratq; ipso Borealis limite Ductor
Saxoniæ, turmæq; omnes ad bella paratæ.
Nil tamen, ut posset, magni prudentia Regis
Movit in hostiles acies præsaga futuri:
Quasq; Deus causas animo suggesserat alto,
Humanâ sibi voce dari, votisq; disertis
Principis & populi, consultâ mente volebat
Rex: quem tot lætis divina potentia rebus,
Totq; piis cœptis opera ad majora remittit
Omne per auspicium: qui sentit ad arma vocatus
Imperiis superûm: quorum pro nomine nullus
Ingratus fuerat sudor. Mea secula testor;
Præmia militibus, Regi mansisse labores.
Quæ pietas si non dicetur in Orbe remoto;
Si nostri generis seris abolebitur annis
Promeritæ virtutis honor, memoresq́ columnæ;
Titanes poterunt gigni nova monstra, Deoq;
Sacrilegas inferre manus, cœloq; potiri.
Mutabunt venti: Boreas transibit ad Austros:
Auster ab Arctoæ spirabit climate terræ:
Orbis in occiduis habitabit partibus Eurus:
Chloridos occiduæ Tithonia regna maritus
Incolet: & summo pascentur in æthere cervi:
Stellarumq; vias tellus cultoribus expers
Accipiet: rerumq; omnis miscebitur ordo.
Ne jactet nostro Peliden Græcia Regi,
Aut juvenem; qui, cùm se natum Hammone tulisset,
Vssit Achæmenias flammis infamibus arces.
Dux & Agenorius cedat, quem torvus Hamilcar
Edidit; & si quos præclaris Roma triumfis

Condeco-

Condecorat. Vanâ famæ spe bella fovebant.
Gustavum res major alit: non nominis ardor,
Sed pietatis amor: cui certat fortior hostis
Memnonio populo. Mentem dux Beticus illam
Arctoi norat Domini, tamtâq; potentis
Misenam gentem Regis pietate moveri.
His ergo insidias, vicinis bella parabat;
Ut, si quæ gentes optarint cernere ferro
Teutoniæ, quarum fuerit spes omnis in armis,
Victæ, armisq; forent neglecta ad sacra redactæ;
Hos, qui Romanas primi convellere leges
Et cultum ætherii profiteri Numinis ausi
Transversos Latiis egissent Teutonas aris,
Adjiceret victis, seu pacem atq; otia malint
Ritibus antiquis rasâq; cohorte receptis;
Seu ferrum frustra fortes atq; arma capessant.
Exin promissis, quibus improba nescit Erinnys
Stare nec æternæ regnum qui possidet urbis
Depilis Antistes, stat pertentare GeorgI
Principis ingenuo subnixam robore mentem.
Orat amicitias, conjungi fœdere poscit
Saxoniæ Dominis, & quæ dulcissima rerum,
Pacem offert populo: vultu satis obvia prostans
Composito in fraudes mentiti signa favoris.
Interea domitis vel Marte vel arte Dynastis
Teutoniæ, quascumq; suis conatibus urbes
Vicinæ gentis, quarum clarissima fama est,
Posse nocere videt, truculentis territat armis,
Aut ruit excidiis, & funere mersat acerbo:
Nunc propiùs tendit, Cereris nunc imperat almæ
Subsidium: stupet ambiguum formidine vulgus.
Non animum latuêre doli, qui munera veræ

Pacis

Pacis amat, qui pace suos patriamq; bearat
Hactenus: atrocis subeunt incendia bellis:
Tot quibus absumi gentes, tot regna, tot urbes,
Iam fines uri propriæ jam viscera terræ
Conflagrare videt: si nunc, *ait,* improbus ille
Deserit oblatæ toties commercia pacis,
Fasq; omne abrumpit; nec Te servare licebit,
Patria, nunc aliter; belli vertamur ad artes:
Quæq; ciet, caussæ melioris in arma ruamus.
Mars nostri generis, si famæ credimus, autor
Ismarios quoties colles Rhodopenq; nivosā
Liquerit, & gelidum mutatis sedibus Hæmū,
Hos fertur coluisse locos; heic illius arma,
Heic currus fuit: hæc nos duratura per ævum
Bellorum egregiis monumentis gloria tollit.
Numina non deerunt, justis quia cingimur armis.
Sic ait: & turmas equitum peditumq; catervas
Convocat electam subita in discrimina pubem,
Exercetq; armis; portisq; educit apertis.
Tillius ut motus animorum sensit, & ipsum
Rectorem populi patriæ spectare salutem;
Fidit adhuc cœptis: extremaq; sumit ab astu
Consilia: hos si habeat, Cæsar quos oderit, hostes
Saxo, quod æterno promissum fœdere norit;
Vnum Cæsarei depellere nominis hostem
Non posse his terris, eadem quas alea belli
Respiciat; Gothicosq; duces jam nectere caussas:
Ipsum se auxilio venisse; ut viribus æquis
Compesci Arctoæ possint molimina gentis;
Et quibus hoste novo Germania fluctuet undis
Exerat, & lætâ caput udum pace coronet:
Hispano lectas jungat cum milite turmas,

Armaq;

Armaq; det Princeps & signa ducemq; sequatur
Hesperium; si regna velit pacemq; tueri.
Olli sed melior sedit sententia menti:
Ductoriq; jubet mandata referre superbo:
Scilicet ut furtis & cædibus omnia turbes;
Arma Tibi demus; Tuaq; impia castra sequamur
Pro victis habiti, Ausonii pars magna triumfi,
Hoc tibi perpetuo promissum fœdere nosti.
At non Matthiâ divus cum fratre Rodolphus,
Nec Rex Fernandus talem mihi fingere pacem,
Qualem Tu memoras, pacisq; has dicere leges,
Cùm sine Saxonico vix tutis esse liceret
Fœdere Cæsaribus. Misenos æquior agros
Desere: meq; meos fines permitte tueri
His armis: quæ non sine causâ sumere Saxo,
Non sine laude solet deponere. Sufficit ultro
Non dubiam integro virtutem patria civi,
Pro patriâ cùm bella gerit: qui limine in ipso
Arma Gothi populo videt esse innoxia nostro,
Tot mala deplorat: quæ Tu seclerate dedisti,
Sed regnis excede meis. Hæc fœdera sunto.
Hinc aliis instat primos augere maniplos:
Accumulatq; viros: duri qui Martis alumni
Pleraq; sub dio duxissent tempora vitæ.
Tum dictis animos firmat: spemq; ore serenat:
Quidve hostis struat inde anceps, indagine lustrat.
Non aliter, quàm cùm milvum gallina volantem
Aeris in liquidis oris videt anxia mater,
Voce vocat caros & colligit undiq; pullos,
Observansq; hostem, placidis super incubat alis.
Non tamen hanc solus dispensat pectore curam;
Sed Procerum indicit magnis de rebus habendum

Concili-

Concilium: venere animis opibusq; parati,
Tum Princeps solio sic hos affatur ab alto:
Et quo non tamdem, fidissima pectora, cultu
Prosequimur Regem: magnæ qui nomine Romæ
Ebrius, immodico temnit regna omnia fastu,
Disq; pares ipsis nequicquam affectat honores,
Si Papâ inferior: Latiis cui cessit habenis?
Cernere sed promptum est, qualis stet gratia facto;
Non fidei immemores nec relligione soluti
Cum nondum pactis Cæsar diversus abiret
Legibus, & patriæ regnum tranquillius esset,
Posceret argentum, rutilum seu posceret aurum,
Misimus: & nostris opibus res juvimus arctas
Austriadum. Tamto nobis pro munere talem
Ille ducem mittit: qui tâlia fœdera pangat;
Vt fera Saxoniæ circumferat arma per agros;
Cuncta infanda patret. Næ, si nunc Cæsar haberet
Quicquid opis nostræ superat, gentisq; benignæ
Exhausisset opes promissis Austria fictis
Antè, Gothus nostris quàm bella moveret in oris;
Non nôstro abstineat Marranus sangvine miles.
Nam Latios cultus Alemania sola sequatur,
Quam tenet aut quærit Papalibus addere regnis
(Si modò, quam quærit, nostras non continet urbes)
Impia Geryonis proles, crudelior illis,
Græcia quos metuit dudum subjecta tyrannos:
Quos & adhuc meminisse horret sua Roma Nerones:
Vndiq; devictæ cingamur limite gentis
Finitimoq; metu: quis nobis spondeat autor,
Posse meas gentes detrudere finibus hostem;
Atq; incorruptos patriæ defendere ritus?
Sed gliscens bellum jam villæ & rura loquuntur;

Et pavor è villis illatus in oppida justus.
Quò spes vertamus nostras; quæ caussa labantem
Servet Teutoniam; quid sanctior ipsa requirat
Patria; quo tanti confidant, dicite, fluctus.
Tum vir Saxonicos inter pietate decarchas
Maximus & belli studiis, quem pulchra senectus
Fecerat & fandi non inconsulta facultas
Principibus carum, culto sic reddidit ore:
Si quem debuerat Saxo Tibi, Cæsar, honorem
Imperioq; fidem; patrum Tibi præstitit ætas,
Nec proles nostro non degener abnuit ævo.
Et quæ Tu dederas, quoties sua vulnera vidit;
Ingemuit, metuens juratum fallere Numen.
Majestate tamen, vel quoquo jure tegebas
Hactenus insidias: & casus sæpe vel error
Prætextus fraudi est: precibus concessimus ultro.
Nunc etiam læsis extremùm injurius arma
Hoc duce, quo numquam missus sceleratior, infers.
Et patiemur adhuc nostris dominetur in oris
Sacrilegus Phalaris lethi durissimus autor?
Quid ferat, hoc docuit lætatus cæde cadentum
Penè sinu in nostro, cùm totam excinderet urbem
Parthenopes; æquamq; solo moriente favillâ
Spargeret; atq; animas hominum demitteret umbris;
Sive essent aliqui fatis melioribus usi,
Verteret in natos patrias immaniùs iras.
Concutit ossa tremor, quoties decus urbis & ipsa
Cæsorum subeunt tot fortia pectora mentem;
Et tractas ad stupra nurus, fœdâq; calentes
A Venere infami prostratas morte recordor.
Vix reor hostiles lacrumas tenuisse maniplos,
Incensâ postquam Mars desævisset in urbe,

Cum

Cum varios vultus juvenum vidêre senumqȝ
Aut tabo fœdos, rapidis aut ignibus ustos,
Horarum spatiis congesta cadavera paucis,
Vt dederat vaga colluvies, & copia gentis.
Non facie ductor fertur Cartejus illâ,
Quâ sævire solet, miseras spectasse ruinas.
Est sapientis opus, pars est non infima laudum
Vicino sapuisse malo: non ultima certè
Hæc in Parthenopen est machina cusa: per illam
Et nostrum petitur latus. Hoc Hispania demum,
Indorum satiata malis cultore perempto,
Irritata suis toties victore Batavo,
Conjurat Tecum nexis, Oenotria, palmis:
Diras Loilidûm leges præeunte Tribuno.
Insuper arma rogat fidissimus assecla Papæ:
Scilicet ut nostro madefiat sangvine telum:
Quod dextræ dederint nostræ; Romæqȝ furentis
Suppositâ pedibus fastum cervice feramus.
Sic navis laceris ventorum turbine velis,
Antennis fractis, laterum compage solutâ,
Amisso aut tabulis confiso remige parvis,
Improba nunc tumidi patitur ludibria ponti;
Nunc scopulis hæret, fluctus subitura marinos.
Denatis Fabiis & Dictatore Camillo,
Et Curiis priscis atrâ sub nocte sepultis,
Orba viris, mœrens fecit quibus Africa nomen,
Et quibus abductum Romana in vincula Persen
Debuit Æmiliis, tamen illa assveta triumfis,
Dum nescit Vejos iterum jactare subactos,
Aut fusos Gallos, aut captum ostendere Pœnum,
Bistoniasqȝ timet per bella lacessere gentes,
Non modò non tamtæ reprimente tyrannidis ausus

Cæsare, sed Latios ultro invitante furores,
Hispanoq; duci socias jungente catervas,
De formidato quondam sibi Saxone poscit,
Splendida quo sacris Capitolia clavibus ornet.
Si capit arma prior, sancitaq; fœdera rumpit
Cæsar inoffensus, patriam tutabimur armis.
Non hæc perfidia est, minimè si quæritur illis,
Quod Saxo patriis committere finibus optet.
Cogimur his terris, quarum ingeneravit amorem
Naturæ pietas, violentæ occurrere dextræ.
Non equidem, creperi sint quamta pericula belli,
Aut nostras vires, patriæ decus optime Princeps,
Ignoro. Vincit numero Tartessius hostis:
Caussa favet nobis, Gothicumq; in finibus agmen,
Rexq; ingens factis: quæ, dum radiantia cœlo
Astra coruscabunt, bis senis mensibus actis
Cardine, quo rursum nascenteis inchoat annos,
Phœbus iter releget, dum Cynthia mense peracte
Cornibus implebit vacuum coeuntibus orbem,
Non mendax rumor, non lingva obnoxia turpi
Servitio, sed rectus amor sinceraq; virtus
Tollet utriq; polo. Sacris conjungimur illis,
Numina quæ firmant, Cæsar contrarius odit,
Execrat Ausonius sacra inter inania Præsul.
Victorem, Princeps, populum, qui Numinis almi
Advenit auspiciis & nostræ gentis amantem,
In fœdas animas oblitaq; corda pudoris
Stricturum, si Tu jubeas, fidentiùs enses,
Sollicitemus in hæc, Cæsar quæ fœdera solvit.
Patria si nostro (quod dirum avertite in hoster
DI potiùs superi) dimanet sangvine tellus,
Et Ganymedèis nostros Hispania natos

Manci-

Mancipet obsequiis, ac pars miseranda sequamur,
Livida Marrano sub compede crura gerentes;
Quàm nimiùm seris onerarent æthera votis,
Quàm nimiùm multo vellent amissa redemtum
Ire, quibus ferrum jus & natura ministrant.
Dixerat: accensa est non vanis concio dictis:
Teutoniæq; omnis funesta subibat imago,
Hesperiusq; furor, turbataq; munia legum,
Et temerata fides, obtrusaq; Numina templis,
Factaq; vis animis, & mentibus additus horror.
Ergò omnes oculis in principis ora GeorgI
Ardua conversis mittat, qui fœdere jungant
Saxoniæ populum Gothicis cum gentibus, urgent.
Tillius interea Furiali percitus œstro
Insidias postquam vidit non posse latere,
Cordaq; Saxonibus non esse patentia fraudi:
Iamq; ore & vultu ferroq;, quod esse negarat
Vtile, Miseno nisi viscere merset Iberi
Dextera, consilium belli confessus agendi,
Moverat Euphoriâ Philyræas agmen in oras;
Est HermundurI latis in finibus agri
Vrbs populo censuq; potens atq; ubere glebæ
Lipsia dicta viris, curvo qui vomere muris
Signavêre locum: parvum tunc Lipsia nomen,
Cùm colerent humiles felicia rura Quirites.
Auxit opes urbis primùm sollertia gentis
Fisa solo, & rerum, quas terra dat optima, fœnus.
Pòst aliæ illatæ merces, ubi commoda sedes
Et situs allectis nova per commercia cives
Conjunxit populis: crevit pars maxima rerum
Divite mercatu: Vidit regionis opimæ
Vrbis & ipsius surgentis ad æthera cultum

Phœbus;

Phœbus, & exiguæ spernens juga proxima Cyrrhæ
Misenos in agros sua castra novemq; sororum
Transtulit. Hinc illi nomen Philyræus Apollo.
Hesperias Latiasq; manus huc ductor agebat
Impius, & quales non Gaditana dedisset
Ora profecturo, sed victa Alemania nuper,
Vectabat gazas atq; auri multa talenta,
Mox cessura viris; quos ultima miserat Arctos,
Tendere principiò miles; tum ducere fossas;
Hinc cives terrere animis, mortemq; minari,
Nî Latias intra murorum septa cohortes
Accipiant. Vrbem armorum circumsonat horror.
Quippe fides fuerat; si Tillius urbe potitus
Mœnia præsidio firmaret; & aggere ducto
Saxonas objecti prohiberet limine valli;
Misenas gentes, & qui vicina tenerent
Non facilè ausuros belli tentamine vires
Explorare suas: submissurosq; Latino
Colla jugo sectâ regni ditione dynastas.
Qualis, ut Elysiis hostem defenderet oris
Marchiacoq; solo, priùs illi lecta placebat
Vrbs, quæ Francorum de transitione vetustum
Nomen habet, qualis nunc gentis cæde Latinæ
Indecoriq; fugâ, & ductorum nota latebris.
Dux bella Hesperius vultu metuendus anili
Iam puer acceptis fertur spirasse sub armis,
Gradivumq; patrem coluisse, sed arte nefandâ
Adjecisse nefas; & quos Cocytia virgo
Indiderit fraudi non præmisisse furores.
Sub galeâ multas hiemes numeraverat acer
Miles: & his steterat bellorum fama maniplis:
Qui poterant Macedûm veteres æquare phalanges:
Tum

Tum duri ingenius omne virûm, sexusq; miserti
Nullius; obsessas cùm Mars addiceret urbes,
Hisq; potirentur non deditione sed armis.
Id metuens malefida cohors, quod miserat urbi
Præsidium Rector Misenæ providus oræ,
Hostis in adventu per lata suburbia sollers
Spargere Vulcanum tectis, depactaq; vitam,
(At non his lætata diu, quas emerat, auris
Occurrente Gotho) citiùs statione recessit.
Martia jam populi Borealis castra subibant
Pars delecta virûm Misenâ é gente Georgi
Principis augusti mandata precesq; ferentes.
Rex, qui Teutoniæ (*sic natu maximus infit*)
Res miseratus ades, si quæ Te fama Tuorum
Incitat armorum, belliq; cupidine tangit;
His ipsis defende Tuos nunc Saxonas armis:
Quæ Tibi formosæ devicto littore Balthes,
Amneq; Guttaleo jam non mutante colorem,
Sed puro currente vado, nec cæde cruento,
Eximium peperêre decus, meritisq; tropæis
Felices hilarant laurus, ævoq; reponunt.
Non in dura novi, Rex, Te discrimina belli
Saxo vocat: Tuus est, qui nobis imminet, hostis.
Sunt animi nobis & corda exercita bellis:
Sunt tales nostræ, quales non spernere possis
Gentis opes: conjunge Tuas, Dux optime, vires:
Nec, si non alia est menti sententia, differ.
Forsan Iber nobis patriâ ditione profectis,
Iam dudum hoc agitans, premit obsidionibus urbes,
Vimq; parat, murosq; quatit, clausosq; fatigat.
At Rex hoc vultu, quo nubila discutit Orbi:
Quem numquam occiduo gelidus premit axe Boötes:

Quo pacem populis & lætæ munia pacis
Annuis: Hoc equidem non vanâ mente futurum
Rebar, *ait*; ne, quam noster non despicit hostis
Virtutem & nostros contemnat Saxo labores,
Impensos generi vestro. Nam fama meorum
Si qua est armorum, non orta cupidine belli
Tot pelago exhaustis minor est terrâq; periclis;
Quæ, nisi cognatæ movissent vulnera gentis,
Et superûm calcatus honor, mutare paterni
Deliciis regni potuissem & deside vitâ.
Sensit Cæsareos jam tum Germania fastus,
Papalesq; dolos, cûm nondum has victor in oras
Signa Borussiacæ vertissem limite terræ,
Fractis Sarmatiæ populis: quibus Austria vires
Junxerat, & Latias crudo duce Roma cohortes.
Si tunc quæ spurci Iovis est, sed turpior illo
Vertice, quem geminum præfert, victricibus alis
Istulei volucer transisset fluminis undas;
Arctica Carolidæ Gustavo sceptra manerent:
At quà Saxoniæ dives fodit arva colonus,
Misceret flammis & cædibus omnia Cæsar.
Sit modus his dictis. Dextram poscentibus ultro
Conjungo. Veniam satis hausti sangvinis ultor.
Audierat fantem Gothici pars magna Senatûs,
Militiæq; duces ipsi fulgentibus armis
Conspicui, & longo duratæ Marte catervæ.
Continuò accensus fremituq; & voce faventum,
Armorumq; sono ferit aurea sidera clamor:
Sub quocunq; jubes figi tentoria cœlo,
Rex Auguste Tuæ certissima gloria gentis,
Ibimus: & nostri quo gessimus obside fati
Sole sub externo varias tot bella per oras,

Hoc

Hoc duce Saxoniam Misenaq; rura sequemur,
In rigidos jubeas transferri castra Gelonos;
Sublatis signis Hypanin Tua turba bibemus.
Sive per arentes Libyæ sitientis arenas
Flectere præstet iter; Maurisia regna petentur.
Non nos impediet, cursumq; morabitur Atlas;
Quem perhibent humeris cœli fulcire ruinas;
Emensosq; viam sub anheli lumine Solis
Niliacos Tecum fontes lustrare juvabit.
Da properè invictam, quâ se vesanior hostis
Cœlo effert, aciem exploremus acumine ferri.
Si tales hæc ille viros in prælia ducet:
Quales hæ totâ pepulêre Setinide dextræ,
Hisq; locis; quæ pars Latialis septima regni
Nunc sub jure Tuo est; iterum gens nostra requiret,
Quæ via quæ regio Tarpejas ducat ad arces.
Sic illi: & jam certa animis in bella feruntur.
Qualis maturi virtus generosa leonis,
Cùm semel oblatæ mota est dulcedine prædæ,
Assiduo patrias rugitu exasperat iras,
Quamprimùm notis aliquam conspexit in antris
Aut nemorum per opaca feram: simul instat & urget
Ponè hærens juxtàq; priorq; lacessere gaudet.
Aut quales, cùm celsam Omolen Othrynq; relinquunt,
In nova nubigenæ descendunt prælia fratres,
Quasq; gerunt ornos vulsas in tela furoris
Materiem crescentis habent. Non silva ruenteis
Tota capit, pugnæ silvis cedentibus ardor
Sævit, & in duras animat sua pectora cædes.
Protenus Arctoas Rex imperat ire cohortes,
Seq; ducesq; sequi. Cunctis insignior ipse
Aurea punicei torquebat frena caballi.

Proximus it phaleratus eques cristâq; decorus;
Quem sequitur numerosa manus non arma ferentum,
Qualia Pellæo patrias ductante catervas
Fregerunt Orientis opes, non missile telum
Non arcum pharetramq; humeris, longamq; sarissam,
Sed solido ex ferro tubulos: qui fulgura mittunt,
Ipsaq; terrificis imitantur fulmina bombis.
Ingens succedit tamtis & idonea bellis
Machina: quam cœli non ulla tonitrua vincunt.
Hanc centum quoties lecti cervicibus altis
Dimovêre loco, toties gemuêre jugales.
Non illam Ætnæi Vulcania turba Cyclopes
Lemniacis fuso fabricarunt ære cavernis,
Mittere ad Iliacos nescivit Græcia muros,
Non, cùm funestis secum concurreret armis
Ipsa sibi jam Roma gravis, vidêre Philippi.
Nunc mihi dic, Erato, Gothicis quos Marchia castris
Miserit in bellum Hesperiâ cum gente gerendum,
Heroas animas, genus altō à sangvine divûm.
Iam tum cùm Samiæ Rex classem adverteret oræ,
Intraretq; Tuos, servata Borusia, portus,
Insignes Proceres, seu quos habet Vrsa nivalis
Et plaga, quam gelido disterminat æquore Nereus
Teutoniæ populis, seu quos hinc Cæsaris irâ
Et variis actos fatis fiducia rerum
Vltima in extremum transire coegerat Orbem,
Quòd gerere hoc bellum optarent pro Numinis aris,
Pro sociis triste exilium aut crudelia passis
Supplicia, Arctoas simul udo in littore naveis
Explebant comites tamti ducis arma professi.
Pars minor his bellis, quibus acer Sarmata fractus
Præclaro fato vitales liquerat auras,

Pars

Pars erat illa super, poterat quæ maxima dici,
Teutoniæ rebus certam paritura salutem.
Ergò ubi terrarum domitor victorq; profundi
Iam sese intulerat campis, subit ordine pubes
Imperiis lætata ducum damnataq; votis.
Antiquo patrum laudatam robore turbam,
Dalecaralinos Germana in bella ferebat
Extremos Boreæ populos ipse arduus alto
Sessor equo, excelso majorum sangvine cretus
Augusto Horniades Gustavi nomine dictus,
Altera Teutonici post Regem gloria belli,
Dignus & his titulis, queis non nisi munia possunt
Summa celebrari. Post hunc non segnior instat
Clarus avis Gothicis & duro Marte Banérus,
Natalesq; suos propriis virtutibus æquans,
Magnum ornamentum patriæ, Rectorq; Borussis
Littoribus per bella datus, Sveonumq; cohortes
Ductor agit longum galeis horrentibus agmen.
Insequitur, secumq; trahit corda aspera bellis,
Qualia sub gelidâ jam dudum armaverat Arcto,
Oxenstirniades Martis decus, atq; propinquo
Gaudens Axelio genus illustrare paternum.
Succedit Dibalus magnâ comitante catervâ,
Germanâ de stirpe satus patriæq; venustus
Nobilitatis apex: cœlo quem debita fama
Evehit & pietas non intermissa sub armis.
Signa sequebantur, patriis quos Austria tectis
Terraq; Marcomanis, patriis quos depulit aris.
Teutoniæ fato Papæq; exercitus oestro
Dux magnæ gentis quondam, cùm sceptra manerent,
Turnius audacem collegerat undiq; pubem.
Ipse præit virtute senex vultuq; verendus,

 Fortunæq;

Fortunæq; vices & cari funera nati
Spe levat: ac notas ardet contingere terras
Amissæ patriæ, fines Sudetidos oræ.
Handius extendit longo post ordine turmas,
Phinnonicas gentes, doctas ab arundine longâ
Ignivomi ferri fatalem mittere glandem
Non errante manu, lethumq; inducere plumbo.
Ingentem invehitur flectens Calobacchius alam,
Gestantes thoraca viros præcordia circum,
Egregiamq; manum peditum: quibus una cupido,
Patria non eadem. Pars Rhenum fugerat exul;
Pars Salios referebat avos: hic liquerat oras,
Audax Belga, Tuas, affines ille Sicambros.
Hinc latè campos populari milite complet
Hallius integri vir pectoris, integer ævi,
Et veteres referens in avorum nomina Brennos;
Ponè incedebat ductans Eberonius illos,
Quos per cœruleam raptatos Dorida secum
Nave Caledoniâ devexerat Orbe Britanno.
Ibat spectandus pulcris Vicetumbius armis,
Expertis hosti quoties inimica cieret
Prælia. Vincellus spatiis propioribus hæret.
Ille regit populos, quos Tu Gustave regendos
Maxime Rex dederas, belliq; exciverat ardor
Vrbibus Elysiis, quos miserat alta Setinis.
Huîc se Marchiaci potor conjunxerat Albis,
Et nomen, Pharadune, Tuum, Cattusq; paterno
Pulsus agro, Lygiusq; & vectus classe Borussus.
Curionum populos Adricas Livonumq; cohortem
Impellit, tetrico spirantem immania vultu.
Militiæ extremum robur Damizius affert,
Si famam & decora attendas, non ultimus heros.

It nigrum campis agmen: dat buccina signum:
Armorumq; gemit magno sub pondere tellus.
Saxonici Gothicus Rex presserat arva coloni,
Rex: quo non alius populo jucundior hospes
Principibusq; loci: Gulielmus Marchio juxtà
Confines intrarat agros: Dux Saxoviarum
Intra Leucoreæ relevat fastidia muros:
Dat Gothico populo Germanorumq; catervis
Mille boum & lauto Cerealia munera sumtu.
Altera lux postquam roseo fulsißet ab ortu,
Jamq; viæ terræq; omnes sub Sole paterent;
Rex iter ingreditur: sequitur vestigia miles
Ordine densato: surgit de pulvere nubes.
Urbs est Saxonibus, claro quam nomine Thebas
Indigitant, parvo cultu cannâq; palustri
Tecta domos: qualem non vos coluistis Hyantes:
Quam sacræ celebrant Dictæi Amphionis arces.
Non qualis Spartam doctasq; fatigat Athenas:
Sæpe tamen civem genuit Te Pindare dignum.
Hanc cum parte ducum Rex nocte ruente subibat;
Sub positis alios mandat requiescere castris.
At non ipse, licet tamtarum pondera rerum
Incumbant soli, merito dat lumina somno:
Sed quo quæq; modo res sit tractanda; quid hostem
Tam cautum, & variis imitantem Protea formis
Aut fraudes Acheloe Tuas, tot viribus auctum
Tot cinctum populis, seu bello frangat aperto;
Sive morâ enervet; ducatne hæc prælia; an ausu
Finiat hoc ipso, quo rem commiserit armis
Et dubio Marti; secum sub corde volutat.
Ducere mens fuerat: ducibus tamen antè rogatis
Explorat tacitas sua per suffragia menteis.

Impri-

Imprimis Saxo, cujus discrimine magno
Nunc gerat arma Gothus, ponat majore subactus;
Quid probet, & populo conducere credat utriq;?
Discere avet. Negat ille hostem per inertia bella
Vinci posse suum. Quis captis exuat hostem
Vrbibus aut agris, Philyræ qui possidet arces,
Et populi locupletis opes urbemq; beatam?
Pars minima est agri; quam nos ditione tenemus:
Amborum agminibus non sufficit illa fovendis.
Egrediamur, *ait*, contrà: sit copia pugnæ.
Cui Rex: Si caussæ possem diffidere nostræ,
Et superûm auxilio; satis hæc ego tuta negarem
Consilia, & dubiæ tot fortia pectora sorti
Subtraherem. Nec lenta tamen non bella placebant:
Quòd sic Hesperias pelli quoq; posse cohortes,
Non mihi vana fidem fecisset caussa. Sed, hospes,
Te sequimur. Si tamta Tuis audacia cœptis;
Et non dura Tuæ detrectant prælia gentes;
Non fugimus nostrum caput objectare periclis.
Dixerat; assensere duces: tum lumina somnus
Intrat: & à curis languentia membra diurnis
Occupat, ac paucis sub lucem detinet horis.
Orta dies aderat, noctisq; fugaverat umbras;
Solq; novus pleno lustrabat lumine terras.
Excussus sopor est oculis: quibus incubat acer
Miles in arma redit, fidoq; accingitur ense.
It Rex Arctous Misenas ductor in oras,
Horrentesq; acies unà ciet: undiq; lætæ
Per galeas surgunt geminato murmure voces.
Quàq; petit tumulum, quà colles transit apertos,
Vicinum miles Gothicus circumspicit agrum;
Hicq; rogat num sit, flammis quem Tillius urat;

Num

Num sint hæc Philyras nuper confinia captæ ?
Indagatq; oculis hostem : ceu regius ales
Despicit, & partes aciem dimittit in omnes,
Si riguas valles si montes præda pererret.
Stipabat Saxo, stipabat Marchio turmas.
Iam bis ad occiduos Hyperione natus Iberos
Flexerat : auricomum bis jam referebat Eoum,
Hancq; diem ; multis quæ milibus ultima luxit ;
Læta fuit multis ; sublataq; fœdera pacis
Reddidit his terris : quas auctior irrigat Albis.
Castra videt miles, quæq; imperterritus hostis
Signa jubet tolli : captæ videt eminus urbis
Culmina, & excelsis radians in turribus aurum.
Vt pronis hostes animis in prælia ferri
Sensit & infestis pugnam deposcere signis
Rex pius ; hostiles immisso velite turmas
Exercet primo creperi tentamine belli.
Explicat hinc aciem campo : veterumq; laborum
Admonet ; & victum pugnis levioribus hostẽ
Spernere supremo jubet hoc discrimine rerũ :
Et docet, ut Gothicis divûm favor annuat armis ;
Consliterant primo fortissima pectora cornu ;
Curabatq; illeic sub Præside Rege Banérus.
Pannonicus medios Dibalus ductabat & Acco
Arcticus. His equitem Phinnum jungebat Ericus.
Elysio explebat Vincellus milite turmas,
Ductoresq; alii. Postremum Turnius agmen
Tutatur : socias gentes Eberonius addit
Britogenus : jungitq; suas Viceeumbius alas.
Optimus & magno Regi cognominis heros
In lævo peragit sibi credita munia cornu,
Fortibus hostilem Martem excepturus in armis ;

D *Tillius*

Tillius in clivum traduxerat agmina fretus
Conditione loci, ventis melioribus usus.
At Gothus ancipitem flexu captaverat auram
Cum Duce Miseno. Dextris Gothus, ille sinistris
Ingreditur campis. Stat machina collibus altis
Æquatâ serie Gothicis obversa maniplis:
Vulcanumq; vomit: tellus atq; arduus æther
Contonat: abscondunt invitum nubila Solem,
Nubila sulfureis cœlo surgentia fumis.
Iamq; micant soli tenebris obeuntibus ignes;
Illustrantq; diem; & veræ discrimina nocti
Efficiunt: lethi quales discrimine lucent.
Non secius, quàm si ruituro redderet Orbi
Antiquum natura chaos, flammasq; polares
Misceret terris caligantiq; profundo:
Et rerum nexu confusa elementa soluto
Errarent: solâq; foret sub imagine noctis
Nulla super rerum facies: aut sparsa docerent
Lumina; quid tamtis possit differre tenebris.
Sævit in lævas missis violentia ferri
Horniadæ turmas, & non aditura beatas
Italiæ terras atq; altam pectora Romam,
Credidit auspiciis se vincere talibus hostis.
Ac, veluti tumidus se proruit obice rupto
Aggeris oppositi curritq; licentius amnis,
Tillius à lævâ cuneis, quos ipse regebat,
In Regem fertur; nec se tamen antè regebat
Omnia præcipitans, Gothicas dum solvere turmas
Ardet, & amotos illis obtrudere Coros.
Addiderat peditem auxilio Dux Holsatus allis
Hesperiis: ne sola foret victoria TillI.
Mittit in oblatos Arctous ferrea miles

Fulmina

Fulmina: tum propero sternuntur corpora plumbo.
Hanc malè vitavit Carteia turba procellam
In lævam flectens, dextræq; objecta Gothorum,
Quà Rex subsidiis mediam firmaverat alam.
Vt toto avulsam vidit sese agmine; bellum
Non profecturis iterum tamen inchoat armis.
Vrgent submissi nunc hinc nunc inde manipli;
Infamiq; fugâ versorum tergora cædunt.
Interea medium robur se gentis Iberæ
Et laterum stipator eques demittere clivo,
Ac solos spectare Gothos immane fremendo.
Hos turmis permista cohors, cui ferreus ingens
Arma tubus, subitâ fatalis grandine plumbi
Excipit: Hesperius cadit alto vulnere miles.
Continuò in dextram converso tramite missos
Prætervecta Gothos acies Hispanica totum
Martem Eumondoriæ convertit in agmina gentis.
Stat Misena manus licet impar viribus hosti.
Ac primùm furor accensus, cùm plumbeus imber
Eminus ingrueret, perruptosq; ureret artus.
Tum ferro cernunt utriq;, hæretq; viro vir,
Alterniq; premunt: fessis subit integra pubes.
At non Saxonicæ vim sustinuêre cohortes,
Cesseruntq; loco: non æquo Marte remansit
Fessus eques, justâq; fugâ flexurus habenas.
Insequitur profugos Hispanus victor: at illum
Occupat Horniades. Ineunt certamina rursum
Arctousq; Gothus scelerumq; repertor Iberus.
Postquam Marranas depulso Saxone gentes
In Gothicas verti Gothicus Rex viderat alas,
Principiò turmas Eberon I castra secutas
Et Vicetumbiaden adversum impellit in hostem.

Exinde à dextris repetita in prælia tendens
Adjuvat instructâ cornu legione sinistrum:
Vnus in hanc tardæ populus concesserat Arcti;
Qui cultam placidæ Zephyri tidos incolit oram.
Bella recrudescunt: it cœlo clamor: & ipsum
Machina quæ dederat refracta tonitrua reddit.
Heic eques insignis, pedes illeic pectore firmo
Exanimus cadit; & terram notat ore cruento.
Per medias volitans densa inter fulmina turmas
Tillius, extremis opus est conatibus, inquit,
Si stat Teutoniæ nondum decedere terris.
At manibus vestris constet victoria; vobis
Arma Gothus tradet: partum cumulabitis aurum
Saxonicis opibus: Septemvir tertius ibit
Exul ad æquoreos vestro mihi munere Belgas.
Sin fugimus; quæ terra viam quæve æquora nobis
In patriam sternent? clausa est Germania victis:
Hostis habet portus, atq; omnia littora servat.
Spargite lethiferam simul omnes spargite glandem
In Gothicas acies, non, si Septemtrio ferrum
Gignit, non etiam penetrabile pectus habentes.
Sic ait: incenso sonuit cava fistula nitro;
Fulminaq; in mediis torsit non irrita fumis.
At Gothus Hesperias ausus perrumpere turmas,
Nunc hos nunc illos ultricibus opprimit armis:
Iamq; ruunt Marranus eques Latiaq; cohortes:
Insequitur qui rura colit Borcetidos Vrsæ.
Non aliter quàm cùm celerem fera saucia turbam
Dictynnæ fugiens morsus non effugit acres:
Illi instant pavidæ, referuntq; ad vulnera dentes.
Nescivit tunc ira modum: nec pugna remansit
Vlla; sed hinc jugulis hinc ferro bella geruntur.

Verterat

Verterat atroces hæc tamta in prælia visus
Dura soror Clothûs, & rupto stamine telas
Liquerat excussas inter spectacula pugnæ:
Agmen erat geminum non jam satis ægide tutum
Palladiâ, non, quam blasphemo murmure Præsul
Consecrat Ausonius, flavæ munimine ceræ,
Clade procul belli: fugit caligine tectum
Atq; umbrâ: quali non texit Cypria mater
Visurum Ænean magnæ Carthaginis arces,
Sed rigidus gaudet sæva inter prælia conjux.
Hostiles cecidêre duces: Pomonius autor
Ducendi in Philyran cognati sangvinis osor,
Teuto Teutoniæ funestis æquior armis;
Schompergusq; fovens vultus in morte furentes;
Qualibus exitium populo juraverat omni:
Munitas habitat Balthes qui divitis urbes;
Ereptisq; opibus jam non gavisus Erephtus.
Tergore captivo sonipes in castra ferebat
Holsatiæ Dominum. Vulgarat vincula rumor;
Cùm Domini fatum in vinclis sua Cimbria luxit,
Tillius infesto dum membra senilia Marti
Subtrahit, illiso plumbi subeuntis ad ossa
Fragmine, consertos quà spina intermeat artus,
Horruit: & notis se condidit arcibus æger;
Amissos mœrens socios, castrisq; relictum
Magnum auri pondus, tormentorumq; metallum,
Collectamq; diu & certis utcumq; locatam
Sedibus obtritam tamto discrimine famam;
Non ita pollicitus Papali subdere froeno
Teutonas edomitos, exarmatosq; Triones;
Nec nisi mutatis loricam ponere sacris.
Contentus vicisse Gothus Rex ditia castra

Militibus

Militibus spolianda dedit: cessitq; metallum,
Quod sitiens quadrarat Iber, auroq; rigentes
Insano chlamydes Gothicis in præmia turmis:
Venit ad ignavos Nereïa bacca maniplos.
Hinc Dibalum egregium Gradivi Martis in armis
Expirantem animam, stratumq; in pulvere corpus
Versantem Halliaden, Calobacchiq; ora reportant.
Deflebant Adrican non hoc duce patria rura
Visuri Livones: cæsos Damizius inter
Affertur: sunt & Gothicæ sua funera genti.
Vt res Arctois Latias cecidisse sub armis,
Misenumq; Ducem Philyræ succedere muris,
Imposita Hesperiæ vidit custodia gentis;
Omnia dura timet; quam conditione receptâ
Victorem in populum non ampliùs arma movendi
Principis incolumem pietas sinit esse, nec armis
Expoliat; læti redeunt ad pristina cives
Obsequia: & patriæ Patris venerantur amorem.
Teutoniæ superas Gothicus Rex tendit in oras.
Et jam fama bonum celeri velocius Euro
Advolat, & lætis Procerum sermonibus auget
Rumorem populi, majorum nuntia rerum;
Dispersos coiisse duces, gentemq; Latinam,
Beticolasq; manus; iterumq; in bella ruisse;
Si qua foret ferro melior fortuna resumto:
Sed pavidas animas & viso Rege pudoris
Stragisq; admonitas magnum posuisse furorem
Aut campis stratas, aut belli clade repulsas:
Herbipolin cessisse Gothis arcesq; superbas
Præsidio firmante loci, Regisq; vetusti
Quam perhibent Aulam, soloq; hoc nomine dicunt,
Ingentem veterum molem gazisq; refertam,

Bella

Bella gerente Deo, toties hoc Rege professo;
Terrarum Dominos motos virtute metuq;
Mittere, qui vultum Gothici victoris adorent:
Cæsareamq; preces turbam descendere in omnes;
Dum sibi vicinos acquirat Saxo Boëmos.
Ibis, & indomitâ rerum momenta capesses
Maxima Teutoniâ, tanti quem Regis Achaten,
Oxenstirniade, præsentia secla fatentur,
Verîdicâ credent famâ ventura nepotum.
Sospes abi; quo sospes erat mea patria Drusis
Fræna Borußiacæ moderante fideliter oræ:
GVSTAVOq; pio nostrî conjungere numquam
Immemor, & soles numera in Tua tempora faustos.



Ad

Serenißimum ac Potentißimum Principem ac Dominum

D. GUSTAVUM ADOLPHUM

Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regem,
Magnum Ducem Finlandiæ, Ducem Estoniæ & Careliæ,
Dominum Ingermaniæ &c. &c.

Dominum suum clementissimum.

Cùm anno superiori expeditionem in Germaniam faceret.

GVSTAVE, regnis excite patriis,
Terris Gothorum, res Alemaniæ
Civesq; turbatos juvare
Sarmatiæ quibus Orbis ultro

Con,

Concessit armis & genus insolens
Quietis almæ, bella sub Arctico
Capesse non audita cœlo,
Rege Deo populisq; caro
Te cœpta primùm, Te, quia militas
Jovæ potenti, dira nec agmina
Minasq; Iberûm nec Tribuni
Loilidum metuente fraudes.
GVSTAVE, nequicquam ære sacro Tuum
Caput licetur Cæsaris ebrii
Papalium cultu deorum
Miles amans necis & rapinæ.
Decora caussa est, tot prece supplicum ob
Fidem exulantum tendere Numinis
Adversus hostes: innocentûm
Sangvine ne madeant Tyranni;
Sincera Iovæ quò veneratio
Ritusq; templis, & sacra debita,
Salusq; Christiana adseratur
Intrepidi pietate Regis.

Frid.

Frid. Zamell

LAUS DRUSIDOS

Sive

Elbingæ patriæ descriptio.

Patria,

Accipe Tui simulacrum: quod nullius argumento fultus ex Te ipsâ expreßi totum. Nam si est alius, qui Te ante hæc tempora scripsit; hunc nec ego scio, nec Tu fortasse. Amore Tui ea de Te dico; quæ, si civis Tuus non essem, & quivis exterorum, qui Te novit, citra hunc adfectum veritatis amore dicere, aut non negare possemus. Reconde Tu hanc Tui effigiem. Talis modò eras. Fortè brevi; si contuleris, aliam Te formam speciemq; induisse animadvertes. Quæ ut cultior sit, opto: dabitq; ille Superûm Regisq; magni favor hactenus integer. Ac tum, qualis olim fueris cùm studio meo cognosces; & Te civi Tuo amorem debere intelliges. Dabam in sinu Tuo, Cal. Octob. anno salut. nostræ M. DC. XXXI.

Arva

ARva vehant alii vano genitalia versu:
Hoc mea sinceræ patria laudis habet.
Pascua sunt nobis: quibus omnes vincimus urbes:
Mænalis egelido quas premit Ursa polo.
Adspiciunt lætos orientia sidera colles:
Quicquid agri pronus Sol videt, æquor habet.
Immensam circùm spatiisq; patentibus oram
Computat in fines patria nostra suos.
Est ultra Nogadum, quâ nulla feracior, amnem
Insula: quam nostræ gens ditionis arat.
Innutrit patrio formosos rure juvencos
Qui pinguem cultor vomere sulcat humum.
Sunt silvæ: silvisq; lacus & flumina nostris:
Nec sat squamigerum continet unda genus.
Est aliquid, quòd si vicinæ mittitur urbi
Tempore difficili, quo domet illa famem.
Laus major patriæ multas mittentis ad urbes
Quam prædam quovis manè dedistis aquæ.
Sunt vada piscosi latè stagnantia Drusi,
Quiq; facit fluctus æquoris instar Habus.
Iam magnum piscem jam magno è flumine nolis:
Nec placeat rubeus salmo lupusq; vorax:
Prandia nec posito fiant Tibi lauta siluro:
Hunc licet à nobis maxima regna petant:
Gratior adstrictâ sapiat nec choerilus undâ:
Nec qui limosis carpio gaudet aquis:
Advenit è levibus maculosus gobio rivis,
Lectus & argutæ turdus amore gulæ.
Sunt tenui crustâ sunt pando forcipe cancri:
Quos solis vendit rustica turba fabris.
Quæruntur procerum mensis, quos proxima mittunt
Littora: quæ Gelidi tegmina Fontis habent.

Finibus in nostris parvi sunt nomina pagi,
Quà Surgis *vostras intrat amoenus aquas.*
Felices hilarant plebis convivia testæ.
Nil genere ex illo carius Orbis habet.
Temnunt pingviculi sua plurima commoda Fratres,
Vbere quos fundo dives Oliva fovet,
Delicias nostras memori cùm mente revolvunt,
Tardigradiq́ gregis purpura grata subit.
Illo ego rure fui: capiebat prandia mecum
Nata illeic rasi pars quotacumq́ chori.
Appositis memini vetulum mihi dicere cancris:
Non placitum franges, hospes amice, cibũ.
Præstant quæ ripas obeunt examina vestras,
Si confers nostris; hi leve vulgus erunt.
Insidias avibus *ponit sub frundibus auceps:*
Defendunt timidas nec sua lustra feras.
Sunt flores apibus*; sunt nobis dulcia* mella*:*
Prataq́ concreti *munera* roris *habent.*
Flava pyra *in reliquos discretaq́ poma Borussos*
Mittimus: & nostrum littora tranat olus.
Adspice non falsò laudatæ Drusidos hortos*;*
Alcinoi dices Hesperidumq́ nemus.
A nobis butyrum *Samiorum Regia sumit:*
Eligitur nostri lactea meta gregis;
Istula *dat nobis, quod Sarmata colligit agris,*
Accola quod Scythicis straverat antè jugis.
Ille trabes *tectis, nitidas dat matribus* ollas*;*
Dacica *rugosâ dat cute* pruna *focis.*
Gens eadem, lentas si fastidiverit undas,
Grandius *adducit per sola vasta* pecus.
Nec desit nostris sed abundat ovina *macellis;*
Largior è multâ copia corte *venit,*

Si luxum spectes, monstrant juga Drusia gemmam,
Duritie qualis nobiliore micat.
Negligimus saturi nostris quod sæpe sub undis
Sollicitâ quærit gens peregrina manu.
Sunt ea præterea, quæ maxima dixerit alter.
Tu nihil esse puta. Plus dedit unda maris.
Mollior à pictis est panni tela Britannis.
Hinc linum puppis molle Britanna vehit.
Dat Batavus, genti quod pascua rura ministrant
Quod Batavæ vectant ex Oriente rates.
Accipiunt fruges: quarum præstantior usus:
Hesperiam fertur navibus alma Ceres.
Extremus Boreas in tela rigentia ferrum
Armaq; frangendis rustica donat agris.
Eruit immensus terris labor æra profundis.
Hinc varium cultæ ducimus artis opus,
Ære nitent Gothico nostræ penetralia gentis:
Æs Gothicum celsi tecta Tonantis habent.
Mittuntur pingui detractæ viscere merces,
Qualiaq; Arctoum monstra per æquor eunt.
Sufficit in costas ratium Septemtrio quercum:
Sufficit his piceæ liquida dona picem.
Robustos adit sublimi vertice malos:
Queis Gothico jungit littora nostra solo.
Si gravior patriæ vires annona lacessat;
Sole sub Arctoo, quo relevemur, erit.
Felices terræ! vos incunabula Regis:
Quo jam nostra nihil patria majus habet!
Si dare quid nostro potuistis sanctius Orbi;
Hoc Aquilo nuper sorsq; secunda tulit.
Venit, ut assereret caussam; quæ verior una est.
Pro nostris aris Rex Gothus arma gerit.

 Hunc

Hunc juxtà, ut diras gentes socia agmina TILLI
Pelleret; accepit Teutonis alma ducem.
Iam cæsum memorat conjuncta Hermondoris hostem;
Inq; ipsâ Tilli tergora læsa fugâ;
Romanas Aquilas Gothicis cessisse Tribunis;
Æs locuples hosti castra dedisse suo;
Et, quibus innocuæ cecidissent Virginis Arces,
Accepisse truces vincula dura manus.
Hæc Tibi firmabit speratam palma salutem,
Fugisti patrios quæ pia turba Lares.
Reddantur Proceres terris: tumuliq; parentum
Vos Serotinios Cochthitiosq; tegant.
At quoniam possint nondum confecta videri
Prælia; nec vanus restat ab hoste metus;
DI, quibus est curæ Regum cognata potestas,
Hoc servent inter tela dolosq; caput!
Quis magnum Axelium Gustavi nescit Achaten?
Ingreditur Famæ proximus ille domum.
Res ornat Gothicas: pacemq; & prælia tractat:
Drusidaq; & nostræ provehit urbis opes.
Quid tellus regioq; loci, quid littora prosint;
Quid mare, quid regio possit obesse loci;
Vidimus his bellis: cùm sollertissimus heros
Hostiles dignâ frangeret arte minas.
Reddita dum pax est, quàm sint hæc otia frugi,
Quove juvent, idem civica corda docet.
Ille graves animos augusta fronte tuetur:
Et qui sint motus pectoris, ore refert.
Sæpe dedit niveos facundia sola triumfos,
Cùm didicêre suum barbara corda nefas.
Ille colit Vates: Vatum colit ille labores:
Quodq; canunt Vates, rectiùs ille secat.

Te mihi Te Phoebo caram Sudetida Musam,
Quæ Latiâ cantas Arctica bella tubâ,
Drusida cùm peteres fugiens vim gentis Iberæ,
Quam tulit, hanc vultu poscere jussit opem.
Illius ingenuo censoris ab vngue probamur.
Sufficit in laudes, huîc placuisse, meas.
Hanc animam ut serò velit indulgentior æther,
Ætherios adeunt altera vota deos.
Nec Te, Nicodama, vectum felicibus alis
Ipsa tacet Regi conciliata fides.
Grata fides nobis: quos nunc accensa juvabit
Pectora, quicquid ab hac utilitatis erit.
Vix minor illa fuit, quæ nos conjunxit amicos.
Quisquis amat nostro foedere, semper amat.
Tu facis, ut rerum domini mea carmina volvant,
Meq; ferat cœlo carminis aura mei.
Vos ego prætereo Dellonia sidera, Teq;
Docte Grubi, vos & fortia corda virûm.
Non his à numeris referet præconia famæ
Qui vester superûm limina pulsat honor.
Illa salus nostra est; seu quam sudore parastis,
Seu qualis vestro sangvine parta fuit.
Vos idem Boreas terris fortunaq; nostris,
Annuerant Regi quam pia fata, dedis!
Forsitan autores urbis, veteresq; colonos,
Et qui sit cultus formaq; nosse voles.
Moenia Lubecà primi struxêre profecti,
Hi leges urbi, quas habuêre, dabant.
Vt possent olim sua signa docere minores,
Tot, quot erant patriæ, constituêre patres.
Nunc minor est numerus: sex & bis quinq; leguntur;
Auctior octonis Curia prisca fuit.

Nulla

Vrbis in Insigni crux incubat altera reti,
Sumsit id à patriâ, qui faber urbis erat,
Nulla fides, nobis Ælvæonas esse parentes.
Est autor: qui nos his putat esse satos.
Elbingum flumen populo dat nomina nostro.
Drusidos à Druso nomina sumta lacu.
Sangvine Saxonico bellorum cladibus hausto;
Venit ab Hercyniis altera turba jugis.
Cum Bojis Salij regionis sceptra tenebant.
Hi sortem populis attribuêre suis.
Patricium tenuit semper genus urbis habenas;
Patricium coluit prædia nostra genus.
Roberii veteres populi sunt nomina nostri,
Et vos Dambitii, Globitiiq; Patres.
In Lygiis vestræ sunt incunabula gentis:
In Lygiis patrias pars bona servat opes.
Ille Bodecceros præstantia pectora nescit,
Qui nostras Solem nescit obire plagas.
Stirpe Morembergâ Drusis quoq; patria gaudet.
Non sola hos generat Bratisilæa viros.
De Speculâ dictos Rhombiq; insigne gerentes
Quæ cano, tercentum messibus arva fovent.
Majorum pulcrâ mactamus laude nepotes:
Majorum thalamus quos dedit esse meos.
Sunt quæ Pacatis celebrantur stemmata Silvis:
Prætorum patriæ est nota Grebina domus,
Gensq; Viderorum, quæq; in vestigia toto
Erectum clypeo Rossia gestat equum.
Vos Scythotuberos referam? pars magna fuistis
Elbingæ: quorum fulget equestris honor.
Iactat Alexiadas populi res integra Vangos
Fermanosq; ad avos Botiniosq; meos.

Sprenge-

" Sprengelios Proceres Siffertinamq; propagem
Pro meritis Regum nobilitavit amor.
" Minzeros recolo: mihi magnus avunculus ille est,
Qui nostrâ summum gessit in urbe decus:
" Hic quoq;, cûi tribuit Princeps Albertus honorem:
Arcani qualem dat bene culta fides.
" Vos quoq; Rhabaldos Piscatoresq; recordor.
Dicebat mater vos genus esse meum.
" Vessellingorum non parva est gloria: non laus
Ruto est pergiadum Clettigenûmq; minor.
" Loæos taceo denataq; nomina passim,
Et, qui nunc præsunt, post memoranda Patrum.
Vrbs quadrata situ est pomoeria prima videnti;
Qualis ab Albanis condita Roma fuit.
Fossa duplex geminis prætenditur undiq; muris,
Parte nisi Australi, quà trahit amnis aquas.
Ille liquens amnis nostræ cognominis urbi:
Qui lucro cives uberiore beat.
Innumeras turres condit sub sidera murus
Interior: valli quem vetus agger obit.
Nunc urbem congesta novam munimina cingunt;
Iamq; urbis nomen tecta sub urbe gerunt.
Intima se portis duodenis area pandit:
Quinq; tamen solas, quà datur actus, habet.
Sex habet exterior toto munitio tractu:
Quam mediam lenti fluminis unda secat.
Recta via est omnis: series æquata domorũ est:
Dividitur longo strata platéa foro.
Hinc sacræ fulgent operosis turribus ædes:
Exhibet hinc Consi se domus alta Tibi.
Dat septem illarum spatiosior ambitus urbis:
Hanc medio celebrant marmora secta foro.

Hospi-

Hospita tecta *patent miseris tria divite sumtu.*
Amplior est, imæ quæ domus urbis agro est.
Prædia sunt binis: rus est huit Principe dignum;
Hortorum minimam, quos locat, uber alit.
Afflictæ numquam jacuêre negotia turbæ:
Par Procerum fundi rem potioris agunt.
Præfecit reliquis industria corda Senatus:
Quos probat è populo non temerata fides.
Non hoc in numero est divi domus alma Georgi
Nec, tamtùm effoetæ quâ relevantur anus.
Respicit illa viam, quâ sunt vineta priorum:
Hæc Nonnos *veteres & sacra claustra videt.*
Est ea cura senum: quos heic manet exitus ævi:
Nec pueris *desunt commoda tecta* vagis.
Nec Domus, *aut domui distincta cubilia desunt:*
Pestiferæ *quâ fit digna medela* lui.
Ante urbem lapidis moles numerosa vetusti est,
Quâ niveum pollen dat resoluta Ceres.
Vicinæ clarent moletrinæ *cortice pinso;*
Tergendi qualem velleris usus amat.
Sunt aptæ ruidi vitium consumere panni,
Dum decus acquirit lana subacta novum.
Est vicina magis pyrij mola pulveris *urbi.*
Inde procul, quâ fit nostra papyrus *abest.*
Est & quâ raudi quâq; exit scoria ferri.
Heic quoq; nobilior temperat æra color.
In tenues postquam diducta est bractea fibras,
Tinnit ab exactâ chorda sonora molâ.
Quasq; gerat lanas ditatus Sarmata numis
Inficit artificum murice docta manus.
Pulchra satis domus *est, si non augusta putetur:*
Quâ scriptor nitidas *sumit ab ære* notas.

Hanc

Hanc habet in foribus mola frumentaria *vallo*
Proxima; quà Solis restituuntur equi.
Distinctæ longis currunt siphonibus undæ.
Non nisi montanas *incola potat* aquas.
Vrbis ad occiduam surgunt armaria *partem.*
Illustrant tectos arma decora foros.
Augentur galeis, tubulisq; vomentibus ignem,
Munia cùm lectus prima tribulis obit.
Quid memorem Arturi *præcincta* palatia *Regis,*
Quamq; petunt curis libera corda domum?
Aut tempe & fontes *Cereri Bacchoq; sacratos:*
Implentur patrio quà vitra longa mero?
Sunt ædes intus geminæ: domus altera Como
Aptior & mensis est Ciba *festa Tuis.*
Est exercendæ *non hinc procul altera* pubi;
Quæ petit erectam glande sonante trabem.
Heic cycnis *primi fecêre cubilia cives:*
Pascit Apollineam nunc quoq; Drusis *avem.*
Spreverunt cannas exordia læta palustres:
Exclusit jam tum lignea tecta lapis.
Æqua fuit semper, vereq; paterna potestas;
Quâ viguêre Patres: displicuitq; rigor.
Legibus immodicum *prohibet mea patria* sumtum;
Nec patitur pubem luxuriare suam.
Orditur tædis *finitq;* jugalibus *horam*
Lex ea: quam Patres, qui posuêre, colunt.
Hinc amor in Proceres vulgi, regimenq; Senatûs
Ingenuum nostras pace serenat opes.
Non mihi mens Paphias *in nostrâ* Druside formas
Dicere: ne merito carmine crescat opus.
Tota suas Veneres sprevit vicinia dudum:
Quæ socias nostrâ sumsit ab urbe thori.

Testor vos Samios & nomina magna Gython I.
Littore qui nostro constitit hospes, amat.
Ipsa suos vultus si Cypria quæreret extrà;
Quæsitas facies Drusia virgo daret.
Discolor hinc nostræ miscetur natio genti.
Heic figit Iazyx, Sarmata, Brito, *Larem.*
Pura tamen vox est: nec totâ purior orâ:
Materno qualem discit ab ore puer.
Dixerat hoc aliquis: cœlo se mittat ab alto
Iupiter; excipiet terra Borussa deum.
Certiùs affirmo: nisi Dantiscanus haberi
Institor optarit; Drusia tecta colet.
Atq; ea sunt, inquis, gula se quibus effera jactet:
Luxuriesq; soli tollat ad astra caput.
Virtutem reputa: fortunas exime tamtas.
Quos tulit egregios ora beata viros?
Fortè ego si dicam; vix Tu numera veris omnes.
Ingenium multis claraq; dextra fuit.
Patria defensa est nostræ *virtute* juventæ,
Cùm portas hostis penè subisset atrox;
Cædibus infames raptoq; & amore nefando
Cùm ferret dominos terra nec ipsa suos.
Hinc meritis *natale solum præcellit* avorum:
Et nostro constat munere gentis honor.
Scilicet autores cùm tota Borussia rerum
Cogit; in his noster *puncta* Senatus *habet.*
Ducitur hoc censu, quoties Sol conficit annum,
Munere qui summo munia Regis *obit.*
Servantur decora atq; ævi monumenta *prioris*:
Hanc quibus extuleras, Rex Casimire, *fidem.*
Ingenti merito signat mea patria numum:
Et jus hæredis *deficientis habet.*

Regia

Regia res certè est nostri venatio *civis:*
Et Regum *in* titulis *nomina nostra legi.*
Nuperiùs Gothicas *admisimus urbe cohortes.*
Esse nefas hi, qui deseruère, putant.
Non poterat jugulis defendi aut sangvine fuso
Patria: cuî nostrum consuluisse fuit.
Cessimus hinc Regi Regisq; *potentibus* armis
Obniti contra non satis æqua manus.
Cessistis populi vos munimenta ferocis.
Vt vidit, dominâ Victor *in arce fuit.*
Tempore pòst longo cunctator bella parabat
Sarmata: qui nostris Marte repulsus agris.
Venit in has partes atq; hæc in præmia laudum
Arctoos pubes nostra *secuta duces.*
Talia perpetuis dicentur tempora fastis,
Et bona Victoris nostra *profecta manu.*
Consiliis Saxo *nostri gaudebat alumni:*
Amplexa est nostrum Cæsaris *aula genus.*
Sultiades *ille est: qui polluit arte Themistos,*
Iuraq; composuit litigiosa fori.
Pectoris Augusti solitus cognoscere sensus
Gessisti lituos, Tu Schonepege, *sacros.*]
Nostræ gentis eras, Samius natalibus audis,
Qui, Va ttere, *mihi sangvine junctus eras.*
Iunxit Ebrosteniis *virtus Te magna dynastis.*
Tablinis hi Te præposuère suis.
Si genere & solo ducantur sangvine cives;
Christophore, *in nostris Tu quoq;,* Prætor, *eris.*
Varmius *obtulerat lætos Tibi* Præsul *honores.*
Nunc Cæsar *nobis Te minùs æquus habet.*
Romuleo legi dignos in jure labores;
Cùm mihi Te generis conciliasset amor.

Fidleros stirpem Felicis patria Drusis
Non dedit: eduxit sola virosq; dedit.
Arte Machaoniâ valuit, qui missus ad Arcton:
Sarmatiæ gratus Regibus alter erat.
Cessit muneribus; cessit vigor utilis ævi:
Varnæ â sacris præsidet urbe minor.
Pene mihi excideras, propior quem Marchio fovit,
Cuî titulos summos Iura, Gulelme, dabant.
Consule gavisa est urbs Ottocaréa Gulelmo.
Nuper erat cari funere mœsta viri.
Drusius ecce regit populi Gedanensis habenas:
Virgineæ fasces Drusius urbis habet.
Tene feram Bochmane? Tuas Epidaurius anguis
Non satis in laudes ipseq; Phœbus eat.
Te spe non dubiâ, cùm corpora languor haberet,
Poscebat Medicam civis & hospes opem.
Virtuti stat cana fides. Hæc fama superstit.
Noster eras. Nostro carmine dignus eras.
Te nisi, docte Nesi, Philyre Misena dedisset,
Assereret textis non mala caussa meis.
Vexit Pæoniæ jam Te sollertia curæ
Me puero, cùm Te sollicitaret avus.
Sed noster multâ poteras ætate videri:
Quem lustris habuit Drusis amica novem.
Iam longâ serie jus & pia fœdera Iovæ
Hac ipsâ nati sanctiùs urbe docent.
Te Clogi terris Te Sandi culte negato,
Mirantur Schilios patria templa suos.
Dulce viri senium! patrisq; venustior ætas
Natorum rarâ prosperitate trium!
Præfuit hic aris: caussas fraterna secabant
Pectora: qui minor est, alta Lycéa regit.

Cui

Cui poterat genitor moriens huic sceptra reliquit.
Da quoq; nunc, pollex Tu Myliane, viros!
Patria dat sumtus: sunt tecta decentia Musas:
Area Phœbéam circuit ampla domum.
Vidi ego formosis cùm staret consita silvis;
Et ferret Paphiis æmula mala rosis.
Antiqui superant vestigia nota decoris,
Quæq; loci septis rarior arbor inest.
Tutandis patriæ non deêrunt pectora rebus:
Tractandis venient agmina digna sacris.
Culta quidem hæc studiis sed perpolienda venustis
Sole sub externo provida Drusis alit.
Menningere, veni: Frisiis revocaris ab oris.
Flagitat adventum causa diserta Tuum.
Perge Suarezi, Tuq; ô Cromere propinquum
Sanguen. Eris patriæ commoda turba meæ.
Vos Megerisiadæ magnis incumbite cœptis.
Drusidos est vestris sumtibus auctus honor.
Dura fuit numquam peregrinæ patria genti:
Munificâ semper quam levat illa manu.
Invitat pretio populi in commercia nostri
Externam pubem: quæ mihi testis erit.
Druside subsidium multorum invenit egestas.
Non eguêre, novem qui coluêre Deas.
Nunc ego vos patriæ clarissima lumina flerem
Reddita Brunones Neiodicosq; polo;
Iret & in pullâ meus Ordo veste Senatus;
Semper & hæc luctûs publica caussa foret;
Treschembergiadæ fasces nisi conscius æther
Approbet & trabeas, Coje diserte, Tuas.
Non vano augurio visi res spernere nostras
Consule nunc gemino DI mala nostra levant.

Hæ

Hæc duo defendent afflictam pectora navim,
Commodaq; æternæ (sic rogo) pacis alent.
Salve, qui Regis sub majestate coherces
Mensibus his, Fuxi, *vim nocuasq; manus.*
Stumeros, Schneiosq; *meos pia Numina servent,*
Hoppiadenq; *meum,* *Teq;* Siferte, *meum.*
Te clarum merito Drusis *mea perdidit,* Hoppi;
Luxit at in fatis non ea sola Tuis.
Proles dicta super patriæ vestigia famæ
Ingenii promtâ dexteritate premit.
Te, Megerisiade, *numero non eximit illo*
Noster amor. Cultâ stet Tibi Parca colo.
Te, qui Consulibus succedis honore secundo
Non ego sic, Esci, *transeo Sospes agas.*
Sint Tibi, quem series iterum confusa ministrat
Iucundi plures, Agriopome, *dies.*
Inter Neiodicos *superas, longumq; supersis,*
Proximus Esciadæ *Tu mihi culte senex,*
Jane, *fide propiore meo conjuncte parenti,*
Et nato felix Te referente patrem.
Macte Henningiade; *rerum Tibi profuit usus.*
Usus Te rerum, Langocagelle, *probat.*
Nec Tu, care mihi Judex, *indictus abibis.*
Quiq; Gulelmiade *rem probitate juvas,*
Vos populi votis meritissima vivite corda,
Meq; aliquâ vestræ parte fovete tribûs.
Dicite, si faciem rerum mutabit & urbis
Instabili Numen stantis in orbe deæ:
Patria talis erat versu celebrata Zamell,
Cùm posset talem Drusida *ferre suam.*
Dic Gotofrede *puer mihi nate* Charillide *dulci,*
Qui vitam caræ morte parentis habes,

Dic

Dic olim: patriam verus pater extulit urbem?
Drusipoli est multo sed minor illa meâ.
Pax quoq; nunc solida est: & quæ nocet urbibus ipsis,
Jam gravis est nulli lingva protervia viro:
Amisit turpes insana calumnia mores:
Virtutemq; colunt pectora, Rege pio.
Interea vanas prohibebo Druside *mentes*,
His mihi devictis altera laurus erit.
Cogam ego Cyrrhæas hæc ipsa in bella puellas:
Pro me tot Vates, quot foris, arma gerent.
Mæonidum studiis majorum addictior ætas
Omnis erat: stirpi dignus inhæsit amor.
Et non Mæonides nostros armentur in hostes?
Aut Vatum jaceat sub pede livor iners?
Cede furor. Nam post nostros auctura triumfos
Non habet in placido carmine turba locum.
Sunt aliquid nostri, neq; vulgus inane Poetæ.
Geppelium *miscent* Grotia *plectra diis.*
Clogius *ornabat Grajas pietate Camoenas:*
Auxit & in Myliis *Musa Latina decus.*
Ipse puer Phoebi sum ductus amore Sororum;
Et fontes adii, Castali lymfa, Tuos.
Mirabar subeunte deo jam Numine plenus
Currere, quod felix moverat ardor, opus.
Cæsareas *dixi tutasq; à fulmine laurus,*
Quamq; sibi asseruit cum Iove Cæsar *avem.*
Vos meruistis avi: Stirpem furor impius egit.
Infestæ jaceat posteritatis honor.
Intulit arma Deo Cæsar: *sic concidit ales:*
Virtutisq; parum marcida laurus habet.
Poscit Hyperboreo *nunc Orbis ab* Orbe *salutem.*
Nempe Deus Gothici *pectora* Regis *amat.*

G *Ille*

Ille mihi dicendus erit : cui carmina curæ
Docta, mihi posthac carminis autor erit.
Da Themis exiguam requiem : jam digna tropæis
Exigit hic meritis, qui mea texta probat.
Druside Rex Stephanus nostro Pœbeia civi
Serta dedit: nostrum non erat ille genus.
Vrbe tamen nostrâ lauru redimita capillos
Cantabat Moschi Volfia Musa fugas.
Si cives memorem non natos Druside Vates;
Reimanos meritò Voidiosq; canam.
Vos Iovæ Mystas pulcro contendere versu
Vt vidi; dixi: Tu mihi, Tuq; places.
Felligibellinæ vivent post funera Musæ.
Has habui primas nota sub antra duces.
Druside vixisses; primas, Laubane, teneres:
Cujus ab ingenio culta Camoena mea est.
Drusia formavit Tecum Gedanensis Agenor
Pectora; quæ patrium nomen in astra ferant.
Dicere de vobis non hoc potuistis Athenæ;
Drusis opus veræ relligionis habet.
Sex struxit veterum pietas in collibus altis
Fana Deo: tollit bis duo planus ager.
Mittit solliciti Mysten proba cura Senatûs:
Imbuat agricolam qui pietate rudem.
Hic operis, quas vis non asperat ulla, solutis,
Dat pecori & fundo cætera pensa suo.
Nobilium parto felix non invidet agris.
Novimus invidiæ sustinuisse faces.
Ipsa favent nobis tamtarum Numina rerum.
Nulla satis nostras gloria vincit opes.

Ad Illustriss: Dominum ac Heroem

DN. AXELIUM OXENSTIRNIUM

Lib. B. in Kimitho, Dominum in Tydoe & Vyholmo &c, Cancellarium Regni Svetici, partiumq; in Borussiâ Regiarum Gubernatorem Generalem &c.

QUam Tu rem semel, Axeli,
Divinâ ingenii vi trutinaveris;
Illam non ferus Austriæ
Turbabit strepitus; non animo eximet
Stipans agmine Celtiber
Romanas Aquilas; nec duce Loilâ
Gaudens factio milite,
Tot dira intulerit quòd mala gentibus,
Suspendet tacito metu:
Sed quæ sola placent moenia Drusidos
Ædesq; oppositæ foro
Arcani placitum consilii exigent.
Qui res temperat Arcticas
Gustavus patriæ gloria proximum
Regni Te facit arbitrum:
Et nunc invidiâ major es hostium,
O Lechi genus asperum
Oxenstirniadæ mens cata quæ domas!
O sævi quoq; Cæsaris
Compressura sacrum, si libeat, nefas!
Pars hæc muneris est Tui;
Quòd lætâ colitur pace Borussia,
Fractis Sarmatiæ minis.
Quòd Rex bella gerit dexteriùs, Tuũ est.

Ad

Ad Nobiliß. & Magnif. Virum

DN. IOANNEM N. DELLONIUM

ab Hamerstein I. V. D. quartùm Auditorem campi Generalem in Exercitu Evangelicorum.

CUi Tu cumq; semel, Themi,
Bis senas tabulas scita Decem virûm
Fasq; à Cæsare conditum
Sectanti placido Numine faveris;
Illum non mare Atlanticis
Ditabit spoliis; non rate Belgicâ
Gangem mittet ad ultimum
Auri insanus amor; non agiles novi
In Sinas iteris ducem,
Quòd frigus Scythici spreverit æquoris,
Dicet nauta Bataviæ:
Sed quæ caußa forum discolor occupat
Et litis rogat exitum
Finget juridico munere nobilem.
Te rerum Dominus Gothus,
Delloni celebris, principum amabili
Miscet consilio virûm:
Et jam dente minus roderis invido.
O juris venerabilis
Distinctos apices quæ, dea, ponderas!
O sensis quoq; tygridum
Aversura ferum, si liceat, nefas!
Nutu contigit illius;
Quòd toti egregius Pieridum choro
Legum scriberis arbiter,
Delloni: quòd in ore omnium es, hæc dedit.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019523